Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1707
Quelle:
Copyright:



*rundam christi fidelium* &c. *Henricum Parisinae* Academiae alumnum mirum non est stare pro immaculato Virginis ortu, quem hic propugnat, postquam multis questus fuisset de Doctorum super hac re discordia, quae Scholis theologicis non contenta prorupisset in publicum, fecissetque paene *Festum Contentionis* e *Festo Conceptionis*. Annum supra indicatum non esse praedicationis, evincit mors Autoris, quae anno 1397. accidit. Dic igitur 1389. Notat hunc Sermonem etiam *Pezius l. cit.* 3) In Nativitatem: *Ipse fundauit eam altissimus. Scribitur psal.* 86. *Domini et patres venerabiles. Magne vtique et gloriose virginis festiuitatis diem primordia humane salutis recolentem* &c. Citatur e Codd. a *Pezio* inter Henricianos, et fortassis id ipsum adfirmasset Clausula in nostro, nisi extrema essent avulsa. Adfirmat saltem de tota Triade Indiculus fronti ab antiqua manu praefixus: *Item Aliqui notabiles sermones eiusdem.*

## DCCXI.

R. 3019. Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 65. f. pereleganter exaratus, rubro distinctus, et litera principe aurata, margineque picturato florulento decorus hanc in Theca notam praefert: *Hunc libellum qui inuenerit, Monasterio sancte dorothee vienne restituere debet. In quo continetur primo exposicio magistri Nicolai de Dinkelspuchel super oracione dominica. Deinde exposicio eiusdem super salutacione angelica.* Rubrica prioris Expositionis est: *Incipiunt Sermones* &c. et re ipsa in XIII. divisa est, hoc initio: *Si quid petieritis patrem* &c. Altera inscribitur *fol.* 59. p. 2. *Incipit sermo — de Annunciacione dominica. et super Aue maria.* Initium: *Ingressus angelus ad eam* &c. Sistitur in verbis: *Et benedictus fructus ventris tui. Et quod ulterius dicitur. s. ihesus christus, summus pontifex, ut fertur, addendum ordinauit.* Dixi de his Expositionibus jam *Vol.* I. P. 3. *col.* 2812. et alias; sed dandum aliquid erat nitidissimo huic Exemplari.

## DCCXII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 37. 8. minute, sed nitide exaratus et rubricis distinctus inscribitur: *Tractatus fratris Sybotonis de ordine minorum super Aue Maria.* Nempe usque ad verba Ecclesiae: *Sancta Maria, Mater Dei* &c. Expenduntur singulae hujus Salutationis particulae per plures Articulos hoc ingressu: *Aue gratia plena dominus tecum. benedicta tu in mulieribus. dixit ad virginem angelus de celo transmissus. Et benedictus fructus ventris tui adiecit elizabeth spiritu prophetico inspirata. Vt habetur Luce 1°. Hys uerbis simul iunctis interposito hoc glorioso nomine Maria solet deuota plebs fidelium diuinitus edocta salutare virginem nostri saluatoris genitricem* &c. Et fine: *ut eatis bona opera faciendo,* U. 76

*et*